

## **Theologiæ Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de  
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

**Bosco, Jean a**

**Antverpiae, 1686**

Concl. III. Non desiderat Deus proprium intrinsecum bonum absens, nec  
fugit aliquod proprium intrinsecum malum absens; secùs bonum aut  
malum extrinsecum. Nobis quoque futura bona velle, & mala ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](#)

meum bonum. Quod ultimum additur; quia malum sub ratione mali non est objectum (secundum communiorē sententiam) volitio-nis, sed nolitionis; jam autem odiū inimicitia est quādam volatio, sive actus prosecutionis. Atque hāc nimis diffusè de quāstione nominali. *Odiū inimicitia an sit intrinsecum malum.* Nōstra locutio, ut sup. bēnē dicebat Smif. ex hu-mana loquendi consuetudine probabilior est. Addo, & conformis illis Scripturis, quā prohi-bent odium inimicorum, tanquā rem intrinsecē malam, quād non potest verificari nisi de odio inimicitiae juxta nostrā explicationem. Atque idem odium intelligunt SS. Patres, quād ubique damnant odium, & inuleant dilectionem inimicorum, & idē hanc sententiam propositiū in Conclū. ac usque modō de-fendimus, sine tamen præjudicio oppositæ. Se-quitur tercia & quarta passio, scilicet desiderium & fuga, de quibus instituitur

## CONCLV SIO III.

Non desiderat Deus propriū in-trinsecum bonum absens, nec fugit aliquod propriū in-trinsecum malum absens; scūs bonum aut malum extrinsecum. Nobis quoque futura bona ve-lē, & mala absētia nolle potest.

*D*esiderium, & fugam propriē reperiri in voluntate divina, docet Smif. sup. nū. 54. & fuga re-periuntur propriē in Deo. Smif. Felix. *D*esiderium, & fugam propriē reperiri in voluntate divina, docet Smif. sup. nū. 54. & fuga re-periuntur propriē in Deo. Nobis magis placet sententia Smif. & Aliorum, quos citat Felix sup. nū. 12. Probatur autem: quia desiderium non est nisi inclinatio in bonum absens; fuga verò declinatio mali absens; qui affectus in sua formalī ratione imperfectionem non involvunt. Nam etsi Deus non possit inclinari in aliquod propriū in-trinsecum bonum absens, nec declinare aliquod propriū in-trinsecum malum absens, cūm nec majoris boni, quām essentialiter sibi vendicet, sit capax, nec ullum malum pati queat, tamen nobis futura bona velle, & mala absētia nolle potest. Ita Theod. Loquitur porrō de bonis & malis Deo in-trinsecis: quia (ut ibidem ait) honorem suum, & gloriam futuram, tanquā propriū suum bonum extrinsecum desiderare Deus potest, & malum absens tali honori repugnans fugere. Hāc est doctrina hujus Auctoris, quam, quia ut dixi, magis mihi placet, in Conclus. expressi, ideoq̄e conabor satisfacere argumento oppo-sitæ sententia, quam, sicut dixi, tenet Felix sup. nū. 13. cum Aliis, quos citat, dicens, in Deo non esse propriū desiderium, nullam faciens distin-gitionem inter nos, & Deum, inter bona intra-fixa, & extrinseca Deo. Probat autem: quia probatur ex desiderium est de bono non habito; ergo de bono cognito ut futuro, vel possibili; si ut futu-

rum, ita ut supponatur decretum, quo est fu-  
rum, jam erit Deo præsens; & sic circa illud  
non erit desiderium, sed complacencia: si ut  
possibile, hoc non desideratur; quia possibilis  
actu est: ergo desideratur, quād illud possibi-  
le sit futurum; sed quād sit futurum est in vo-  
luntate Dei; ergo non desideratur à Deo; nam  
quād est facile consequibile à mea voluntate,  
non dicitur optari. Sic ille. Addes; quod ibidem  
nū. 14. ait idem Auctor: desiderium, cūm sit  
boni absens, includit imperfectionem Deo  
negandam.

Sed nunquid hāc convineat intentū? Non  
puto: nī sibi ipsi Felix velit esse contrarius. Nū  
c. 5. diff. 2. n. 4. agens de voluntate Dei omag  
salvandi, inquit: Chrysostomus vocat vehementem  
voluntatem, ut ostendat, quād quānum  
est ex Deo, nostrā salutem desiderat; desideriū  
um enim sine anxietate Deo non implieat. Sic ille.  
Et verò nostra sententia attribuit Deo de-  
siderium eum anxietate? Absit; hāc enim anxie-  
tas est imperfēctio, quā Deo non est tribuenda. Ergo ut consequenter loqueretur hic Au-  
tor, non deberet negare Deo omne desideriū, sed tanquā desiderium cum anxietate, quād  
& nos negamus. Præterea, Felix dicto nū. 14.  
objicit sibi Chrys. Hom. 1. in Epist. 1. ad E-  
phes. dicentem, in Deo esse voluntatem noſta  
salutis eum desiderio. Responder autem, quād  
in textu Græco non est vox, quā significet de-  
siderium. Quocirca (inquit) Damasc. lib. 2. de Di-  
fide c. 29. qui etiam Græcē scribit, & ferè eadem  
verba (vide ea Scđt. præced. Conclus. 3.) ex  
Chrysost. accepit, nullam habet vocem, quā  
desiderium significet. Sic ille. Quod si verum  
est, quare ergo dicto nū. 4. cum explicas de-  
siderio sine anxietate? Et quomodo recte proba  
ibidem nū. 15. voluntatem Dei salvandi omnes,  
non esse simplicem complacentiam; quia Chry-  
sostomus dicit, vehementer illam desiderat,  
quantū est ex se? Quārō etiam à te, quid  
significat vox, quā est in Græco? Exspectabo  
responsionem.

Dico interim ad ultimum; id verum esse, si  
est bonum in-trinsecum, quod desideratur; sed pate-  
re desiderium Deo non tribuumus, ut patet  
ex prima parte Conclū. Deinde: quāvis in  
nobis imperfectionis sit, desiderare bonum  
extrinsecum; quia cum aliqua anxietate &  
inquietudine desideramus, utpote incerti, an bo-  
num absens, quod desideramus, simus acceptu-  
ri; haud equidem ita est in Deo, qui certissi-  
mus est de bono absenti; & ideo desiderium  
eius non conjungitur cum aliqua anxietate,  
vel timore non futuris. Hinc rāmen non  
sequitur, bonum istud, quod Deus desiderat,  
esse absolūtū præsens, ut supponit prima ratio  
Felici. Quid ergo? Solūm īfertur certo al-  
iquo tempore bonum istud futurum esse: v. g.  
novit Deus, quād cultus & honor sibi debi-  
tus ex voto hominis, tali determinato  
tempore ei accidet ex impletione voti, quam  
desiderat, juxta illud Psal. 75. vers. 12. Vnde  
rete & reddite Domino Deo vestro. An censes,  
Christum

*Oppositum  
probatur ex  
Felice.*

Christum non certò præcivisse, quo tempore Pascha manducaturus esset cum discipulis suis? Scio quia non censeas: & tamen Christus ait: Desideravi hoc Pascha manducare vobis cum antequam patiar, Lue. 22. v. 15. Pone, aliquem per revelationem certum esse de sua æterna beatitudine, & certum de hora mortis suæ: putas, id est beatitudinem sibi esse præsentem, ut proinde amplius nequeat eam desiderare?

Nec obstat quod Deo sit facilè consequibile illud bonum: nam licet ad objectum spei requiratur arduitas, non tamen ad objectum desiderii in genere: sed sufficit, ut sit bonum absens, sive facilè, & certò possit haberri, sive difficulter, & contingenter. Absens, inquam, id est, realiter, & in sua propria existentia nondum possellum. Atque ita res futura, quæ talis, est bonum abens respectu Dei, tametsi sit præsens in esse cognito, & eminenter, quia revera non possidetur à Deo formaliter, seu realiter, & in sua propria existentia. Hinc Felix cap. 6. diff. un. num. 14. ad sequentem objectionem: Deus desiderat omnes salvos fieri, & omnes benè operari: ergo in Deo est desiderium; perperam responderi: Si talis (inquit) gloria esset futura, Deo est præsens, & sic illam non desiderat, si tantum ei possibilis, cum Deus potuerit illam producere, & non producit, non desiderat. Hanc, inquam, responditionem rejicio; quia iuxta jam dicta, gloria futura non est in sua entitate præsens Deo, & id est bene dicitur absens.

Quod autem possibilem potuerit producere, & non producat, tantum arguit, desiderium ejus non esse absolute efficax; secùs quod nullo modo cam desideret, etiam efficaciter, quantum est in se, ut patet ex dictis Sect. præced. Igitur desiderium, secundum nos, non est aliud quam volitus boni absentis, & fuga nolitus mali absentis. Et quis dubitare potest, Deum velle nobis bona absentia, & nolle mala absentia? Omnes homines vult salvos fieri, 1. Timoth. 2. v. 4. Et: Nolo moriem impii, Ezech. 33. v. 11. Ergo, saltem respectu nostri datur in Deo desiderium & fuga; quæ est ultima pars Conclus. nullam in se continens difficultatem.

Ceterum, contra id, quod diximus, desiderium solum esse boni futuri, & non præsens, arguitur ex 1. Petri 1. v. 12. In quem (Deum) desiderant Angeli proficeri; cum tamen eum præsenterem habeant. Responderi Smif. sup. ex D. Thom. 1. 2. qu. 33. a. 2. Desiderium ibi largè capitur pro quocumque affectu boni; non paucis fastidium; quia non ita expletus appetitum inviatum, seu capacitatem passivam naturæ desiderantis, quin absque excessu adhuc perfectius possideri posset, spectata capacitate; & sic quia desideramus bona absentia, quorum capaces sumus, per similitudinem & metaphoram adiunguntur Angeli beati desiderare Deum, cuius perfectius possidendi capaces sunt, de naturæ capacitate loquendo: alias, propriè loquendo, desiderium illud Beatorum, quod habent de Deo, est passio satietatis, & delectationis in

bono infinito præsente. Et ecce pervenimus ad quintam passionem, scilicet delectationem, pro qua, & possessione s. ei opposita, putat tristitia, erit

## CONCLUSIO IV.

Deus delectatur de Bono præsenti; sed minimè tristatur de malo, sive proprio, sive alieno.

**D**electionem propriè esse in Deo, nemo ambigit; quippe non aliud est, quām af. <sup>Delectatio</sup> propriè est factus & propensio in bonum præsens & possessum; & quis sanè mentis dixerit, Deum non esse sibi ipsi intime præsentem, & à seipso perfectissime possessum? Enimvero in hoc affectu nulla reperitur imperfæctio: nec objectum (<sup>Etiam de</sup> inquit Smif. sup. num. 55.) seu materia delectationis desesse Deo potest, cūm sua infinita perfeccio, quæ sibi essentialiter convenit, sig. bonum suumè beatificans, & satians intellectua- <sup>nos tristia</sup> lem substantiam. Sic ille. Nec solum de proprio bono gaudet seu delectatur; sed etiam de nostris bonis præsentibus, & possessis: quæ enim in ea delectatione imperfectio? Certe bona nostra Deo volente accidunt, & sunt objectum gaudii; quidni ergo Deus de illi gaudet? Noli dubitare. Nonne scriptum est Lue. 15. v. 7. Gaudium erit in calo super uno peccatore paenitentiam agente? Et v. 10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore paenitentiam agente? Si coram Angelis Dei, cur non etiam coram Deo? non video sufficientem disparitatem. Si inferas: ergo etiam Deus tristatur, si non de suis, cum Deo nihil mali saltem intrinseci accidere possit, saltem de malis propriis extrinsecis, & de malis alienis: nam & Angeli de malis nostris tristantur, juxta illud Itaia 33. v. 7. Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare flentur. Hoc autem opponitur secundæ partis nostræ Conclusionis, quæ negat tristitiam in Deo, sive de propriis, sive de alienis malis; aut certè non valet argumentum sup. factum: Angeli gaudent de bonis nostris: ergo etiam Deus. Vel assigetur disparitas inter delectationem, & tristitiam ei oppositam. Respondeo; <sup>Solvitur</sup> disparitatem esse: quod tristitia, ut ait Felix sup. num. 16. sit de his, quæ nobis nolementibus accidunt; jam autem Deo nihil accedit sibi, vel alii, nolemi.

Smif. sup. sic ait ad nostrum propositum: 29. Certum est, passionem delectationi oppositam, <sup>In Deo non</sup> nempè tristitiam, in Dei voluntatem non ca- <sup>est tristia.</sup> dere, ut Omnes notant; & ita Scripturas, quæ Smif. significant Deum dolere, exponunt per metaphoram esse intelligendas; quia Deus si aliquando exterius ita gerit, quemadmodum sollemus nos cum tristatur, videlicet, ostendendo signa abominationis mali, de quo trista-